

C A R O L O
HISPANIARUM, ET INDIARUM
R E G I.

N Il temere in terris, sed Numinis omnia nutu
Eveniunt: errat, qui secus esse putat.
Nec temere evenit; multos quod Iberia Reges
Viderit haud canos occubuisse neci.
Te Deus aeternis Solio decrevit ab annis
Praescius ingenii, justitiaeque Tuae.
Istuc Ausoniae simul ac delatus ab ora es,
Justitia amplexa est, pacis & almus amor.
Quae bellum intulerant, Tu vectigalia lenis;
Aere laboranti Tu grave frangis onus.
Emeritis addis majora stipendia: fontes
Parca vel emendat poena, vel ante timor.
Quo vero non pacis amor Te compulit? Offers
Te medium, sileat Martis ut ira semel.
Hoc minime excusso, Te bello accingis; & inde
A belli incusso pax fuit orta metu.
Ut pius, & justus nostras, precor, accipe Musas,
Quae seges ad cantus classica, pacis amor.
Bella geris, Tua bella canunt: Tibi cingit oliva
Tempora: materies mitis oliva fuit.
Utraque laudandum cum viderit area: laudes
Quas recolunt, clemens & patiare pius.

